



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Rerillvstri Et Reverendissimo Domino D. Gotthardo Joahnni Tizenhaus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



PERILLVSTRI ET REVEREN-
DISSIMO

DOMINO

D. GOTTHARDO
JOHANNI TIZENHAUS

EPISCOPO METHONENSI

*Suffraganeo & Canonico VILNENSI
nec non sede vacante*

ADMINISTRATORI GENERALI

Episcopatus Præposito Trabensi, Hebdoviensi
Abbati, Domino & Patrono pluri-
mom Colendo.



Topusculum hoc olim in
gratiam Studioſæ juventutis
concinnatum diu non solum à
calamo, verum ab animo quo-
que repulsum in sinum meum
reciperem; fecerunt benevo-
la amicorum imperia: ut receptum atq; eorun-
dem suffragiis in lucem publicam protrusum, ante
Tua sacra scepra adsternerem; fecit ILLUSTISS.
Nominis Tui dignitas, ac humanitatis æstimatio
PERILLUSTISS ac REVERETDISSIME
Domine, Scilicet à luce in sitis operi tenebris ab hu-

) (2 mani.

DEDICATIO.

manitate verecundiæ Patrocinium quæsi. An
verò splendor ille quo reconditissima seculorum
præteritorum abdita illustras & præsentium cursus
magnificè serenas obsitis squallore pagellis diem
non ministret? Ne perstringar metuo, non, ne il-
lustrer. Fatiscere cogitur acies Tibi propinqua;
quia lucis Tuæ splendor: non splendor Solis com-
munis, sed splendor Solis perennis est, neque diem
oculis invehit, sed annos, ætates, secula, Oceanum
respiciat qui sermonis fidem requirit. Inde enim
TYZENHAUSORUM lux Livoniam, Russiam,
Lituaniam, Poloniam latè illustratura nobis orta:
unde sol emergit; eò tamen solis ortu gloriosior,
quod non sensim nec per partes aucta verum sub
ipsam auroram, toto Phæbo accensa. Plus dicam
Duo simul soles orti **WILHELMUS** atque
REINHOLDUS TYZENHAUSII, ut quæ cæ-
lum non capit; Illustrissima Domus hæc simul ex-
hiberet lumina. Ab his primis sui Principibus, Li-
voniam & humanum diem terris barbaris inve-
ctum vidit; & animis Lumen sinceræ religionis in-
fufum percepit. Sexaginta super tres ab **URBANO**
QUARTO Pontifices Romani numerantur,
quorum primus tam felices ignes **TYZENHAU-**
SORUM tanto Orizonti illuxisse gavisus: cognatis
WILHELMI Tyzenhaus. radiis **Archi Episco-**
patus Rigenfis Decus, **REINOLDI** autem splen-
doribus Ducis Christianorum contra Barbaros
prærogativas novos veluti radios inseruit. O ma-
gna & ipsis initiis paria ingentium siderum incre-
mentis lumina! quorum virtute, non herbæ solum

in

DEDICATIO.

in incultis regionibus effloruere, non gemmarunt tantum vites, aut germinarunt arbores: verum urbs Rigensis urbis Ecclesia Princeps, aliaque ingentia Livoniæ decora pullularunt. Sequatur, qui viribus ingenii fidit, tantorum cursum siderum seculorumque ætates computet: ego calculos quidem Astronomiæ suspicio: lucis tamen hujus incrementis suffecturos, despero; utpote non gradibus exiguis, sed immensis passibus, temporum & gloriæ metas emensæ. Quantus gloriæ passus est? REINOLDUM TYZENHAUS primò Livoniæ ingressu de centum sexaginta Russorum millibus triumphare? ipsiusque Russiæ dominatus Zophia Ducis Russiæ filia in consortem vitæ assumpta accedere? Quantus? nepotem ejus victrici fama orbem perstringere, & S. R. Imperii socium, à Carolo IV. Imperatore consalutari? Quantus? HEINRICUM TYZENHAUS (ut refert Striikovius anno 1279.) totius militiæ Crucigerorum vexilliferum bellorum fortissimè gestorum laude radiare? Non tubo, sed tuba decora hæc designanda cujus tamen vocem prædicandæ gloriæ TYZENHAUSORUM non suffecturam antiquitas judicasse, non obscure deprehenditur: quando gentilitiis insignibus non tubum, sed tubus geminas affixit ut alia quidem orienti Phœbo; alia occiduo, gloriam lucis occasus nesciæ insonaret: & spirantem magna, hæreditarium URUM post superata animose Baltici vada, ad scandendum, occupandumque immortalitatis gloriosæ cælum accenderet. Factum enim vero, cum Illustrissimi Majores

) (3

Tui

DEDICATIO.

tui, illustrissimis meritis utrumque polum occupa-
rent. At numerus eorum, numerus stellarum est,
singulisque capiendis cælum pro folio, pandi de-
beret. Affulget interea propinquior neque sine
compellatione præteriri potest. Illustrissimus Pa-
rens Tuus **GOTTHARDUS TYZENHAUS**
Palatinus Derpatensis, Regni nostri Senator Am-
plissimus. Magna hæc nomina, par tantis nomini-
bus heros. Sapientia & virtute pariter instructus
ita utroque certavit ut utraque vinceret. Bellarmi-
ni enim pro orthodoxa religione instructa monu-
menta, stylo inter medias aulae Sigismundi Tertii
Polonorum Regis turmas aggressus: tam diu cum
acerrimo ingenio certavit: donec religionis cogna-
tæ errores, veritatis cognite professione proster-
neret. Cedente deinde bellorum sorti Livonia de
hostium expectatione, de potentia ambitu, de cu-
piditate opum, de se deniq; tam admirabili exem-
plo triumphavit: quam rarò contra deprecationem
hostium desideria opulentissimis possessionibus,
atque adeò Livonia cessit: ne de fide Deo, &
Regi data dimoveretur. O magnum verè Hero-
em! maximoque jure meritum cujus edictum ab
admirabundis hostibus celebretur. Non decere
Senatorem fidem uni Regno datam ad aliud trans-
ferre. An verò non applaudant Cives, ubi stupent
hostes? Hac certe voce tota Illustrissimæ familiæ
Tuæ domus excitata & in Polonia amore roborata
lucem suam nubibus Aquilonaribus subtraxit &
cum in Lituania ac Polonia luxisset in plurimis, lu-
cet nunc in Per Illustri ac M. D. Joanne Tyzenhauz

Capi-

DEDICATIO.

Capitaneo Miszogotiensi & Syrvitensi, vexillifero
Vilnensi Germano Tuo P. M. D. Georgio Tyzenhauz
Ensisfero M. D. Litvaniæ M. D. Wilhelmo Tyzenhauz
Capitaneo Kupiscensi M. D. Andrea Tyzenhauz
Capitaneo Uzvviatensi. Amplior tamen diviniorque
Tuus sacram circa tiaram emicat fulgor, Infelix
Methona, quæ ad radios salutis Tuæ de Tua
dignitate fecundissime promicantes non respicit!
Nimirum oculos Ethnica caligine offusos lux;
irreligiosos religio, criminosos virtus, Dei ignaros
vicario Deo potestas perstringit. Absit malis
alienis beati, esse cupiamus. Fateri tamen
neceffe, quod, cum alii felicitatis suæ proventu
uti nesciunt; nos per Te fortunatiores vivamus,
ut ab indignis remota beneficia gratioribus cedant.
Erudivisti primam ætatem Tuam literato scientiarum
cultu, ornasti adolescentiam Philosophiæ & liberalium
Artium in Alma Academia Vilnensi, laureâ; promovisti
eandem solidis scientiæ Theologiæ passibus: nunc
Totus quod didicisti, vivis & quod vivis publico
pietatis temperantiæ, fortitudinis vigilantia typò
omnes erudis. Cur celem quod spectro? es quod
sani oculi nunquam diffiteri velint! Deum D.
Gotthardi nomine complecteris, pectore foves,
Te toto spiras; ut ejus vicarium, non solum
dignitas, sed & vita monstret. An & consilio
divino, ratione, mente omnia Te agere dicam?
aut scopulum Dei, nulli violentiæ in ejus studio
cessurum, aut denique Cor Dei appellem?
Omnia hæc Gotthardiani nominis significatio
complectitur sed facta, melius, firmitusque pro-

D E D I C A T I O .

hant. Non vulgaris hinc necesse lux gloriae Tuæ
confurgat, neque splendor inanis, quo nuper Sere-
nissimus JOHANNES CASIMISUS Rex Polo-
niarum conspecto ita recreatus est, ut Serenitate
sua claritati ejus suffragaturus domi Tuæ hospes
haberi voluerit: & lucem luce aucturus nec mani-
bus captatus, nec suffragiis Tuis interpellatus sola
virtutis æstimatione Abbatiam Hebdoviensem
Tuis radiis illustrandam subjecerit. Eximium e-
nimvero sidus argentiq; atque auri fulgore præ-
stantius, quod solo aspectu, virtuti pretium facere
potuit; & mercimonia honorum in præmia meri-
torum commutaturum, munera non solvit sed me-
ruit. Sic radiavit verus illa beataque beatorum An-
tistitum ætas, sic radiet diutissime Tua, populosq;
felici lumine illustret; quos nuper quoque gravis-
sima nox extincta lucidissima Antistitum face, Illu-
strissimo Georgio Biallozor Episcopo Vilnensi,
oppressisset: nisi Tu Pharam lucis Tuæ potestatis
administratoria manu, in altū extulisses. Nemo ta-
mē ita hæc Tua clarissima sidera respiciat, quin præ-
ter Te primaque Livonici cæli lumina cognata
gloriosissimo naturæ nexu Illustrissimorum SA-
PIEHARUM decora contempletur. Editus ad
omnem Tuæ Magnitudinis Magno Patre non mi-
norem sorte cæli tulisti genitricem: cui; Trium-
phator totius Moscoviæ Pater: Victor ejusdem
tum Suecorum, Prussorum, Transylvanorum, i-
demque M. D. Litvaniæ exercituum Dux & Vil-
nensis Palatinus frater: sæculorum soles, Gloriae
Phœnices, omnium ætatum honor, Proavi, Abavi
Atavi

DEDICATIO.

Atavi. O in uno sidere tot iterum sidera! in uno so-
le tot soles! non tam levi concursu nubium, spar-
sisque variè vaporibus repræsentatos: sed maxi-
mè propriâ, quia hæreditaria luce, Te circumfu-
sos. Cedat igitur necesse tantis luminibus libelli
squallor, cedat simul humanitati patrocinii quæ-
rendi rubor, Luminis & Tua Præsul Reverendis-
sime natura est tenebris, dum via pateat sese in-
fundere. Expertus loquor & ideò ab ambitu suf-
fragiorum ad vota Tuæ Illustrissimæ Dignitati jux-
ta ac Humanitati debita conversus, animo quem
nostri precor ut quod lumen tam magnificè libera-
literque spargis, illo longævus, Ecclesiæ Patriæ ac
totius universi polos serenes: auctus insuper illis,
quæ omnes boni Tibi optant lucis incrementis.

XC 8

Facul-

Facultas R. P. Provincialis.

Ego Johannes Ryvocki Societatis Jesu per Provinciam Lithvanix Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre Johanne Paulo Oliva ejusdem Societatis Jesu Vicario Generali permitto typis mandari librum, cui titulus est **MODI PRACTICI SACRÆ ORATIONIS FORMANDÆ** à Patre Casimiro Wiuk Koialovviz Societatis ejusdem Sacerdote conscriptum atque à Deputatis ad id Theologis lectum & approbatum. In cujus fidem has literas manu propria subscriptas consuetoque officii Sigillo munitas dedi. Vilnæ die 30. Junii Anno 1644.

L.S.

Johannes Ryvocki
manu propria.

INDEX